



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Poße produci speciem diuinæ eßentiæ ex solutione oppositarum rationum
ostenditur. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

concurrit cum omnibus alijs causis. Quocirca nō repugnat dari speciem expressam per ipsam visionem, vel quæ sit ipsa visio, repugnat tamen produci speciem impressam.

Consequitur.

Sed neque hoc discrimen mihi probatur. Quoniam, tametsi res aliæ, aut sensibiles, aut intelligibiles ex se speciem producant naturaliter, non voluntarie, non propterea fit, ut Deus speciem intelligibilem sui, quam naturaliter nequit producere, ut argumentum propositum optime conuincit, non possit voluntate sua creare. Omne enim creatum voluntate sola Dei produci potest, & debet. In quo Deus ab alijs agentibus differt, quod alia aliquid producant extra se naturaliter, Deus autem nihil præter personas, quæ processione intra Deum producuntur: ergo sicut Deus ad producendam visionem claram sui, & speciem expressam, voluntarie concurrit, sic etiam speciem impressam voluntate sua potest efficere, & sicut visionem, quæ totum Deum repræsentat, producit Deus per ideam peculiarem, sic etiam potest producere speciem impressam. Cum vero dicimus utramque speciem produci per ideam peculiarem, non asserimus peculiarem ideam esse obiecti, quod specie, aut visione repræsentatur; hoc enim est Deus ipse, cuius non potest esse idea aliqua; sed dicimus utramque speciem produci per ideam vnicuique peculiarem. Sicut enim datur in Deo idea visionis claræ dei, & speciei expressæ, non autem Dei claræ visi, sic etiam datur idea ipsius speciei intelligibilis, sed non obiecti illius, quod est Deus.

CAPVT IV.

Possit produci speciem diuinæ essentie. ex solutione oppositarum rationum ostenditur.

Hactenus ratione illa à simili, quam in 2. cap. adduximus, probatum est, nihil ob stare, quo minus species impressa essentie Dei dari possit: nunc vero idem non minus aperte monstrabitur solutione rationum, quibus id esse impossibile probari solet: atque in primis tres rationes, quas S. Th. assertit in hoc articulo, si de specie impressa, quæ ponitur tanquam principium visionis, ipsa tamen non videtur, intelligantur; nullius prorsus ponderis esse statim apparet: quanquam in alio sensu, quem S. Doctor contendit, de quo in sequenti disputatione dicitur, euidentes demonstrationes mihi videntur. Quia ergo Thomistæ his etiam vtuntur, ut probent, non posse dari speciem impressam diuinæ essentie, hic breuiter eas referemus, & confutabimus.

Prima ratio, ad quam reliquæ dæ reduci possunt, desumpta est ex Dionys. cap. 1. de diu. nom. non longe à principio, ubi docet, per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo superiora cognosci posse, veluti per speciem corporis non potest cognosci, quod incorporeum est: idque multo magis verum est, si loquamur de cognitione, & visione clara, quia videtur res, sicuti est: ergo similiter per speciem creatam videri non potest id, quod increatum est: hæc est prima ratio. Ex eodem principio recte etiam infert S. Thomas in secunda ratione, per speciem, cuius esse, non est sua essentia, qualis est species creata, Deum, cuius esse, est sua essentia, videri non posse. Atque similiter, ut colligit in tertia ratione, recte sequitur per speciem, quæ natura, & essentia sua limitata est, videri non

Vasquez in 1. part. Tomus I.

posse Deum, qui secundum essentiam infinitus est. Eisdem rationibus vsus est S. Thomas 3. contra gent. 4. 49. Placuit autem his etiam addere quartam Durand. Durand. 4. d. 49. q. 2. num. 12. & sequentibus, quæ talis est. Si daretur species aliqua Dei, deberet esse eiusdem rationis, & naturæ cum ipso deo: omnis namque species eiusdem naturæ est cum obiecto ipsius sed nulla species creata potest esse eiusdem naturæ, & rationis cum Deo: ergo non potest species aliqua Dei produci.

Verum, ut diximus, si hæ rationes intelligantur de specie impressa, quæ solum est principium visionis, & ipsa non videtur, nullius momenti esse, facile ostendemus: atque in primis contra Durandum supponimus, nulla ratione probari posse, speciem, & obiectum illius debere esse eiusdem rationis, & naturæ inter se. Nam similitudo repræsentans substantiam, vel Angelum, non debet esse substantia, aut Angelus: id quod de ipsa cognitione manifestum est: cum enim omnis cognitio sit expressa obiecti repræsentatio, est etiam illius similitudo, nulla tamen cognitio substantiæ est substantia, neque hominis est homo, & sic de alijs. Nec solum de spiritualibus intelligibilibus hoc verum est, sed etiam de sensibilibus: nam species coloris, non est color remissus, ut late ostenditur 2. de Anima cap. 7. Atque hinc soluitur ratio Durandi: ille namque gratis omnino supponit id, quod nulla ratione probari potest, videlicet speciem, & obiectum eiusdem rationis, & naturæ esse debere.

Eodem modo falsum est, quod Caietanus in hoc articulo affirmat, accidentarie conuenire speciei esse substantiam, vel accidentem: nam cum omnis species intelligibilis sit aut principium intellectio- nis, aut ipsa intellectio repræsentans per modum habitus, vel per modum actus obiectum, natura sua debet esse accedens inherens potentie: idemque de omni specie sensibili aperte sequitur. Nec satis intelligere potui, qua ratione Caietanus probare contendat, speciem, & obiectum debere esse eiusdem ordinis, si intelligat secundum esse: nam secundum repræsentationem conuenire debent, hoc est, tale debet obiectum ab specie repræsentari, quale illud est, eo tamen perfectius, aut imperfectius, quo ipsa species perfectior, aut imperfectior est: ergo, si non opus est, ut species secundum suum esse sit eiusdem rationis, & naturæ cum obiecto, sed satis est, si cum eo repræsentatione conueniat, ut explicatum manet, fieri etiam potest, ut species, quæ est accedens, substantiam repræsentet, & quæ est creata, & finita secundum esse, nec suum esse sua essentia, repræsentet Deum, qui non est creatus nec finitus, & suus esse est sua essentia, quia satis est si repræsentatione conueniant, licet secundum esse diuersæ omnino rationis sint.

Neque contra ea, quæ diximus, est id, quod alle- rit Dionysius, quem pro se assertit S. Thomas: ille namque, ut sequenti disputatione explicabitur, solum loquitur de similitudine, quæ visa prius ducit nos in cognitionem alterius rei, nō autem de specie impressa, aut expressa, quæ vel est principium cognitionis, vel est ipsa cognitio, & ipsa non cognita, nec visa nos ducit in rem intellectam, aut visam. Quamuis autem hoc genus speciei non debeat esse eiusdem naturæ, & rationis cum obiecto secundum esse, sed solum secundum repræsentationem cum eo conuenire debeat, ut explicamus; res tamen similis, quæ prius visa, vel cognita

Durand.

Quarta ratio.

Rationes prædictæ non probant de specie impressa.

Species & obiectum non debent esse eiusdem rationis, & naturæ.

12

Non est per accidens speciei, quod sit substantia vel accedens ut ait Caiet.

20

De qua similitudine loquitur Dionysius.

S

ducit

ducit nos in cognitionem alterius, debet esse eiusdem naturæ, & ordinis cum illa secundum esse: alioqui si sit inferioris naturæ, & ordinis, non potest nos ducere in cognitionem illius perfecte, sed imperfecte, detrahendo scilicet, & negando aliquid illius, sicut ex creaturis in hac vita Deum cognoscimus. Optime igitur Dionysius de primo illo genere similitudinis loquens, dixit per res inferiores ordinis cognosci, & videri non posse superiores.

Tres aliæ supersunt rationes, quibus aliqui nituntur probare speciem diuinæ essentiae non posse produci. Prima est Marfilij loco citato: nam si daretur talis species à Deo creata, semel vna producta, cum ea esset finita, posset à Deo produci alia, & alia perfectior (intelligit diuersam secundum specificam rationem) atqui non possunt variae species hoc modo produci, nam cum visio beatifica secundum specificam rationem sit vna, & non plures; vnicum tantum secundum specificam rationem principium postulat, ergo nulla potest species essentiae diuinæ produci. Respondeo, ex eo quod species producta sit finita, non sequitur, posse à Deo produci aliam, & aliam perfectiorem distinctam secundum speciem, sed solum intra eandem specificam rationem magis, aut minus perfectam: sicut ex eo quod homo productus sit finitæ perfectionis secundum essentiam, non sequitur, posse produci alium, atque alium perfectiorem hominem alterius naturæ, sed alium, atque alium magis perfectum intra eandem naturam specificam.

Secunda ratio: inter speciem illam diuinæ essentiae, & ipsum Deum esset relatio similitudinis: hæc autem fundari deberet in vnitrate, vel æqualitate in forma, ergo esset eiusdem naturæ cum ipso Deo, quod est impossibile. Respondeo relationem similitudinis bipartitam esse: vna enim est, quæ fundatur in vnitrate formæ, & hæc est inter ea, quæ sunt eiusdem naturæ veluti inter duo alba, & ponitur in primo genere relationis ex enumeratis ab Arist. 5. Met. cap. 15. Altera vero est similitudo representationis, & hæc potest esse inter ea, quæ sunt diuersæ omnino naturæ, ut paulo ante dicebamus.

Sed vrgent nos aliqui hoc pacto: totum esse speciei est representatio, vel saltem hoc est esse illius specificum: sed representatio, quæ infinitum obiectum, qualis est Deus, representaret, esset infinita in ratione representationis: ergo eiusdem naturæ cum Deo. Verum contra eos idem fieri potest argumentum: primum quidem, si dicamus visionem esse similitudinem expressam obiecti, ut constat. Deinde, etiamsi id non dicamus, quoniam totum esse illius, est esse cognitionis: ergo si est infiniti obiecti, erit infinita in genere illo, ac proinde eiusdem rationis cum Deo. Quare respondeo ex eo, quod aliqua representatio, vel cognitio sit infiniti obiecti, non sequi ipsam, siue in genere representationis, siue cognitionis, quod est proprium esse ipsius, in se ipsa intrinsece, & formaliter infinitam esse: sed solum circa infinitum aliquid versari, vel illud representando, vel cognoscendo: est igitur infiniti, se non infinita. Quare non sequitur eiusdem fore naturæ cum Deo, sed magis inferioris ordinis.

Tertia ratio, hæc est. Si species diuinæ naturæ daretur, posset Angelus sua virtute naturali illam cognoscere: esset enim aliquid creatum: cumque

illa esset propria, & quidam similitudo Dei, posset Angelus propria virtute illam videndo, vel etiam clare intueri. Hæc ratio videtur Henricus in summa ar. 23. q. 2. ad 3. arg. & potest à simili confirmari: nam sicut per speciem, quam in speculo reflectam videmus, rem ipsam, à qua derivatur, intuemur proprie, & sicuti est, ut docet S. Th. infra q. 14. ar. 5. & Caiet. in hac q. art. 8. §. Ad horum evidentiam, & idem S. Doctor 3. contra gent. cap. 49. in principio, imo August. 15. de Trinit. cap. 8. ita etiam per speciem illam propriam essentiae diuinæ intellectui Beati impressam, & quasi in speculo quodam reflectam, posset vnus Angelus virtute propria Deum ipsum intueri.

Hæc ratio maius præ se fert specimen probabilitatis: si tamen penitus consideretur, non minus, quam præcedentes, infirma, & debilis apparebit. In primis namque, qui speciem illam impressam dari posse contendunt, consequenter asserunt, eam esse supernaturalem ordinis, sicut ipsum lumen gloriæ, & gratiæ habitualis. Quæ vero sunt supernaturalia secundum suam naturam, & non solum ex modo efficientis, non possunt naturali virtute aliquius intellectus creati cognosci, ut inferius disp. 214. dicemus; cuius oppositum veluti notum supponere videtur Henricus. Verum concedamus, speciem illam ab intellectu creato propria virtute posse cognosci: nihilominus non sequitur, per illam prius visam posse quoque essentiam diuinam clare videri, primum quia idem argumentum fieri posset de visione beatifica, præsertim si illa sit similitudo rei cognite: & quamvis non sit similitudo, ut putauit Henricus citatus c. 2. huius disp. idem sequi videtur: quoniam visio ipsius obiecti non minus potest esse medium cognoscendi obiectum, quam species intelligibilis: maiorem enim cum obiecto conuenientiam habet visio illius, quam eius species impressa: sed ex eo quod sit visio clara Dei nullum sequitur absurdum: ergo neque ex eo, quod producatur species impressa illius.

Deinde, ut optime obseruauit Scotus quodlib. 14. §. Ad ista, bifariam potest obiectum aliquo medio cognosci: vno modo, ut medium illud debeat prius esse cognitum: atque hoc modo non potest aliquid esse medium cognoscendi aliud quidam, & sicut est, si in se non contineat totam rationem illius. Si enim eam non habeat, non potest in ipso illud aliud videri secundum totum, quod est: & mea quidem sententia nihil tale esse potest, vel solo numero diuersum ab alio, etiamsi sit eiusdem naturæ secundum speciem, quod potest esse idoneum medium videndi illud, sicuti est, eo modo quo diximus. Verissimum tamen est id, quod dicit Scotus, nempe illud, quod non continet in se omnem rationem, & entitatem alterius, non posse esse medium videndi illud, sicuti est. Altero modo potest vnum esse medium cognoscendi aliud, non prius cognitum, sed quia est ratio cognoscendi, aut tanquam principium eliciens visionem, qualis est species impressa, aut tanquam verbum in quo res exprimitur, quod vel est terminus cognitionis ab ea productus, vel, quod verius puto, est ipsamet intellectio: & hoc medium est tantum est ratio videndi in cuius intellectu est: quoniam ei solum, vel potest esse principium eliciendi visionem, vel potest esse verbum, in quo res ipsa videatur.

Hinc sequitur, etiamsi aliquis propria virtute videat

Argumentum Marfilij.

21

Solutio.

Secunda obiectio.

Solutio.

Aristot.

22

23

Tertia ratio Henrici.

Confirmatur à simili S. Thomae. 23

Augustinus.

Solutio rationis.

Visa specie impressa Dei non eo ipso videtur Deum ipso.

24

Scotus. Bifariam potest obiectum aliquo medio cognosci.

videat speciem impressam essentiae diuinæ, aut verbi illius in intellectu alterius, per eam visam non posse clare videre ipsum Deum: id quod expresse notatur Gregor. in 1. d. 3. & in 2. d. 9. q. 2. & Gabr. ibidem q. 2. ar. 5. dub. 1. Tunc enim esset medium priori illo modo, quod prius cognitum, duceret in cognitionem alterius; cumq; in se non haberet omnem rationem, & entitatem Dei, nec esset eiusdem rationis cum eo, sed omnino diuersæ; fieri non posset, vt per tale medium prius cognitum Deus videretur: cum tamen intellectus, in quo est species illa impressa, aut expressa, possit per illam Deum clare intueri; quoniam illi tantum est medium posteriori illo modo, vel per modum elicientis principij, vel per modum cognitionis expressæ: nihil ergo vetat, quo minus sit talis species in intellectu beati. An vero per hanc speciem visam possit deduci euidentis aliqua notitia Trinitatis, dicemus disp. 13. c. 2.

Ad confirmationem vero respondeo cum Scot. quodlib. cit. non videri à nobis similitudinem rei existentis in speculo, sed per refractionem in quouis corpore polito speciem in oculum derivari, quæ rem ipsam, quæ est à tergo, intuemur, cum alias non nisi è regione posita videri possit: quare non sequitur, per speciem rei prius visam rem ipsam, sicuti est, vnquam videri. Porro autem speciem in speculo existentem non videri, licet contrarium nobis appareat, duobus experimentis, & vnica ratione euidenter probatur. Alterum experimentum est huiusmodi: si species existens in speculo videretur, non appareret proculdubio intra profunditatem, & distantiam ipsius: accidens enim, quod est in subiecto aliquo eandem cum ipso habet distantiam sub qua simul cum ipso videtur, atqui res illa, quæ obiecto speculo apparet, multo interius, & in profundiori distantia videtur, quam speculum: quinimo quanto magis res ipsa ab speculo è regione posita distat, eo profundius videtur nobis intra speculum apparere: ergo signum euidentis est, non videri ipsam speciem, quæ intra corpus speculi existit, sed rem è regione positam, quæ propter refractionem specierum cum tota sua distantia eo modo repræsentatur.

Alterum experimentum est, qui tali facultate videndi præditi sunt, vt è propinquo optime videant, è longinquo vero egeant peculiari quodam genere perspicilliorum, etiam si speculum habeant è regione satis propinquum, & ad illud intueundum, & quæ in eo sunt non indigeant perspicillis. egeant tamen ad videndum ea, quæ à tergo posita sunt, & per refractionem in speculo apparent, si in longinqua distantia posita sint: signum igitur est, non esse in speculo id, quod videtur, cum ipsum speculum, & quæ in eo sunt in optima distantia posita sint, vt sine perspicillis recte videantur, sed rem ipsam à tergo positam videri, quæ cum non sit in debita distantia, sine perspicillis etiam in speculo refracta visui recte apparere non potest.

Ratio autem est huiusmodi. Species visibilis non est color, etiam remissus, sed ab omni colore, & luce diuersa, vt secundo de Anima cap. 7. latius probatur: ergo non potest videri: obiectum enim visus teste eodem Arist. eo cap. est color, aut lumen.

Verum obijciat nobis quispiam Apostolum cum dixit, *Vidimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi cum comparet visionem obscuram Dei, quam habemus in hac vita, visioni

Vasquez in 1. part. Tomus I.

in speculo, & in ænigmate, necesse est, vt dicamus, in speculo rem ipsam non videri secundum se, sicuti est, sed visa prius sui similitudine: sicut visio aliquid in ænigmate fit prius ipso ænigmate visio: alioquin si in speculo res ipsa sicuti est, videretur, veluti è regione posita, non recte Paulus comparasset visionem obscuram viæ ei, quæ fit in speculo, claram autem, quam habemus in patria ei, quæ rem è regione positam intuemur.

Respondeo, Paulum non dixisse, rem videri in speculo, sed per speculum: nam cum in illo species refrangantur, & ad oculum perueniant, quæ alias ipsum non contingerent, merito per speculum dicimus videre, non aliquid, quod in ipso sit, sed rem cuius species in eo recipitur. Comparat vero huic visioni, quæ fit per refractionem in speculo cognitionem obscuram, quam in hac vita habemus de Deo: quoniam licet per speculum res ipsa secundum se videatur, non tamen apparet omnino non mutata, neque ita perfecte sicuti facie ad faciem. Nam & quantitas variari, imò ipsa colorum, & figuræ dispositio non ita perfecte apparere solet, sicuti est: merito igitur visionem patriæ comparauit visioni rei, quam facie ad faciem intuemur. Et quia non satis videbatur sibi Paulus explicasse obscuritatem cognitionis, quam de Deo in hac vita habemus, comparando eam visioni rei per speculum, subiunxit, *In ænigmate*, vt ostenderet, obscuriorem eam esse, quam quæ est per speculum: ænigma enim teste Aug. 15. de Trinit. cap. 9. est similitudo quædam obscura aliquid, veluti quoties per vnâ rem aliam significare volumus, vt Proverb. 30. *Sanguisuga duas sunt filias, &c.*

Negare autem non possumus, Aug. 15. de Trin. c. 8. & 9. in ea fuisse sententia, vt putaret, similitudinem rei in speculo receptam videri: multo tamen verius est, & philosophiæ magis consonum id, quod hactenus à nobis probatum est, & hæc satis de hac quaest. An vero de facto in Beatis sit species impressa, quam hactenus probauimus esse posse, disp. 43. c. 7. dicemus. Vbi etiam satisfiet argumento, quo aliqui in hunc modum videntur contra superiorem sententiam. Si potest dari species: ergo de facto ponenda est: cur ergo communiter dici solet essentiam diuinam esse loco speciei?

DISPUT. XXXIX.

Quid senserit S. Thom. de specie impressa essentiae diuinæ.

Vera interpretatio sententiæ S. Thomæ. cap. 1.

Diluentur oppositiones ex eodem S. Thomæ contra interpretationem prædictam. cap. 2.

CAP. I.

Vera interpretatio sententiæ S. Thomæ.

NON solum veram existimo sententiam, quam præcedenti disp. secutus sum, sed etiam doctrinæ S. Thomæ minime aduersari, vt in hac disput. perspicue monstrabo, in qua etiam obiter mentem ipsius, & textum articuli exponam. Id vero tam ex professo disputare placuit, quod cum multi conuersionibus superiori disput. factis plane videant, nihil omnino repugnare, speciem impressam essentiae diuinæ produci, solum propter Doctoris sancti auctoritatem, quem in contrariam partem interpretantur, id asserere non audent.

S 2

Omnis

Solutio quæ
fuit explicat
Pau. mentem.

28

Aug. 15.
Preuer. 30.
Ænigma,
quæ secundum
Augustinum.

Gregor.
Gabr.
25

Scotus.
Ad confir-
mationem
respondetur.

Speciem in
speculo re-
fractam non
videri, man-
ifeste ostendit-
ur.

26

Aristot.
27

1. ad Cor. 13.
Quid sit
ab 2. perspicill.
austritate.